

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

BIS IN MENSE PRODIT

Premium annuae subnotationis, *ante solvendum*, est: in Italia Libellarum 10;
ubique extra Italiam Lib. 15; M. 12; Sch. 12; Doll. 3; Rubl. 6; Flor. 7½.
Inscriptiones et omne genus indicationes pretio aequissimo referuntur, quod est in extremis commentarii paginis
Lib. 0.50 pro unoquoque centimetro quadrato.

Cuncta mittantur ad ARISTIDEM LEONORI equitem, commentarii VOX URBIS possessorem et administratorem

ROMA - Via Alessandrina, 87 - ROMA

Subnotatio fieri potest:

IN RUSSIA

Apud GEBETHNER ET WOLF

IN ANGLIA

Apud BURNS AND OATES

IN CIVITATIBUS FOEDERATIS
AMERICAE SEPTEMTR.

Apud FRIDERICUM PUSTET

IN GERMANIA

Apud FRIDERICUM PUSTET

IN CANADA

Apud LIBRAIRIE GRANGER FRÈRES

VARSAVIAE POLONORUM
Krakowskie Przedmiescie, 15

LONDON W.
28, Orchard Street.

S. Sedit. Apost et S. Rituum Congr. Typogr.

NEW YORK
52, Barclay Street.

CINCINNATI
436, Main Street.

RATISBONAE in BAVARIA

MONTREAL
1699, Rue Notre-Dame.

RERUM INDEX

| | |
|---|---------------------|
| SOCIIS MONITUM | V. U. |
| « ALCOOLISMUS » | Senior. |
| DE CASSIO SEVERO | I. Marra. |
| NOVA, NOVO SAECULO, INGENUIS ARTIBUS SPES | I. Antonelli. |
| VENATIO CAVENSIS | M. Galdi. |
| DE SENIS, URBE CLARISSIMA | N. Capo. |
| DE SCRIPTORIBUS OPTIMIS IMITANDIS | D. Mancini. |
| COMMUNIA VITAE. - Latinitati utile, recens, vaporitrahā rapiente, iter. | H. D. V. Pieralice. |
| AD AUSTRALEM POLUM NOVA SUSCEPTA ITINERA. | M. Lani. |
| WILHELMUS MAC-KINLEY. | I. F. |
| ANNALES | Propoplicola. |
| PUBLICI PER ORBEM COETUS LEGIBUS FERENDIS | Scriba. |
| LIBRORUM RECENSIO | P. Angelini. |
| AENIGMATA | F. Palata. |

In tertia operculi pagina:

| | |
|--|----------|
| PER ORBEM | Viator. |
| VARIA: Acerior grandinis, nimborumque profligator. - Primus mutos eloquium docens. - Loci | P. d. V. |
| LIBRI RECENS DONO ACCEPTI. | |

ROMAE

EX OFFICINA PACIS, PH. CUGGIANI

35, Via della Pace IIII

MCMI

COMMENTARI "VOX URBIS", INDICES SINGULI

XI num. ann. IV.

De arbitris lego adeundis - P. ROSSANI.
De graecis litteris tuendis in scholis secundi ordinis - N. CAPO.
Musica et excellentes ingenio viri - SENIOR.
De Hieronymo Venantio deque eius libro qui «Callophilia», seu «de puleri amore» inscribitur - MARCUS BELLII.
Divini Spiritus reprezentatio apud Urbevetanam civitatem - ALOISIUS FUMI.
De urbano templo S. Caeciliae deque recentibus in ipso effossionibus - ROMANUS.
Quorundam animalium viae, pugnae, instinctus - M. LANI.
Communia vitae - Peregrinatio per cubiculum - H. D. V. PIERALICE.
Lollius sive de proiecta latinitate - P. ANGELINI.
In Iosephum Verdium - A. CERASOLI.
Latinæ adnotatiunculae: Factio, Seditio, Rebello, Tumultus - FORFEX.
Annales - POPPLICOLA.
Publici per orbem coetus legibus ferendis - SCRIBA.
Librorum recensio - I. M.
Aenigmata - I. BATTANIUS.

In tertia operculi pagina:

Per orbem - VIATOR.
Varia: *Funera canis - Nova in latrones ex apibus arma - Photographia ex electride - Bibliotheca Babilonensis - Utilitas ex fumo - Ioci* - P. d. V.

XII num. ann. IV.

Victis atque victoribus quae sit in coloniis fortuna - P. ROSSANI.
De humaniorum litterarum progressu post recentissima physicorum incrementa - Ex scriptis MAURI RICCI.
De disciplinis pueris traditis apud Romanos - G. P.
Par viatorum - De vita humana meditatio - FR. X. REUSS.
Ex Americis - De urbe Pittsburgensi - H. DOSWALD.
Sapientum inventa - Sol in servitatem redactus - Vita in metallis. - M. LANI.
De Clasio poeta - v. u.
Adamantium fulgidissimae gemmae - A. COSTAGGINI.
Arabum mores - A. VIEILLOT.
Annales - POPPLICOLA.
Publici per orbem coetus legibus ferendis - SCRIBA.
Librorum recensio - X.
Aenigmata - FR. PALATA.

In tertia operculi pagina:

Per orbem - VIATOR.
Varia: *Interdum quanti sit induere vestes alienas - Ioci* - P. d. V.

XIII num. ann. IV.

De Russorum imperio - D. LASCARIS.
Civile liberalium artium officium - I. ANTONELLI.
De sancto Paulino poeta - I. LEMETTE.
De urbe Propertii natali - FORFEX.
Custos Massiliensium Maria (*Notre-Dame de la Garde*) - FR. X. REUSS.
Ex Caledonia - De studiorum Universitate Glasguensi - SCOTUS.
Beati Angelici Faesulani tabula Petrum apostolum referens Christianos admonentem - LAELIUS.

Populare Helvetiorum theatrum - A. COSTAGGINI.

De nuperis effossionibus cretensibus - G. P. Aloisii Clasii «Lusus pastorales» - Latine vertit I. BATTANIUS.
De americanarum rerum ostentu ad urbem Uropolim - I. De urbe Uropolitana Buffalo - H. DOSWALD.
Arabum mores - A. VIEILLOT.
Annales - POPPLICOLA.
Aenigmata - FR. PALATA.

In tertia operculi pagina:

Sociis monitum - *Vox Urbis*.
Per orbem - VIATOR.
Varia: *Rhinoceros albus - Ioci* - P. d. V.

XIV num. ann. IV.

Ad «Praeconem Latinum» - N. CAPO.
De subtiliore latinae orationis cognitione - A. CIMA.
Pax! - A. M. CERASOLI.
Latinæ adnotatiunculae - Maurus Riccius Ioanni Taddeo - Ex scriptis M. RICCI.
Oratio ad discipulos gymnasii habita studiis absolutis - I. WABNER.
Ab Helvetia ad Nordicum caput - LAELIUS.
Collectiones et collectores - H. D. V. PIERALICE.
De polari vertice attingendo - A. COSTAGGINI.
Aloisii Clasii «Lusus pastorales» - Latine vertit I. BATTANIUS.
Frustula - FORFEX.
Annales - POPPLICOLA.
Publici per orbem coetus legibus ferendis - SCRIBA.
Aenigmata - FR. PALATA.

In tertia operculi pagina:

Per orbem - VIATOR.
Varia: *De nivatis scitamentis - Ioci* - P. d. V.

XV num. ann. IV.

Australiana civitates iure dominii communicae constituae - P. ROSSANI.
De pronuntiatione et studio linguae latinae - H. P.
De legalitate coemeteriorum christianorum - Ex ineditis M. ARCELLINI.
Uvae cornuta origo - H. D. V. PIERALICE.
Theatrum olympicum vicentinum - LAELIUS.
De liberalium artium fato in futura publica re - I. ANTONELLI.
Alexander Botticellius - A. COSTAGGINI.
Communia vitae - De salutatione - P. ALEXIS.
Aloisii Clasii «Lusus pastorales» - Latine vertit I. BATTANIUS.
De «phototherapia» - FORFEX.
Arabum mores - A. VIEILLOT.
Annales - POPPLICOLA.
Publici per orbem coetus legibus ferendis - SCRIBA.
Aenigmata - A. E. DE DRUFFEL.

In tertia operculi pagina:

Sociis monitum - *Vox Urbis*.
Per orbem - VIATOR.
Varia: *Ioci* - P. d. V.

XVI num. ann. IV.

Leoni XIII Pontifici Maximo - R. REYES.
Consociationum vires quomodo exerenda - I. TONILO.

De Cassio Severo I. MARRA.
Athenaea et auditores in America - SENIOR.
Fr. Angelici Faesulani tabula Deiparam in caelum evectam referens - X.

Recens aëriae navigationis progressus - M. LANI.
Vita functi viri clariores - I. F.
Theatrum Marelli - ROMANUS.
De legalitate coemeteriorum christianorum - Ex ineditis M. ARCELLINI.
Aloisii Clasii «Lusus Pastorales» - Latine vertit I. BATTANIUS.

Ex Istria - L. P. MICROVIR.
Frustula - FORFEX.
Annales - POPPLICOLA.
Publici per orbem coetus legibus ferendis - SCRIBA.

Librorum recensio - P. ANGELINI.
Aenigmata - A. E. DE DRUFFEL.

In tertia operculi pagina:

Sociis monitum - *Vox Urbis*.
Per orbem - RUFUS.
Varia: *Quaenam innocentibus culpa, consensu gentium confirmata? - Ioci* - P. d. V.

XVII num. ann. IV.

De diebus festis apud Germanos - P. ALT.
De Probae Falconiae Vergiliano centone - M. BELLII.

Lapurdum - F. X. REUSS.
Graeca in Aegypto papyra reperta - N. CAPO.
De Augsteis navibus in lacu nemorensi demersis - H. D. V. PIERALICE.

De «Cymatologia» - FORFEX.
Aloisii Clasii «Lusus Pastorales» - Latine vertit I. BATTANIUS.
De Cassio Severo - I. MARRA.
Annales - POPPLICOLA.
Publici per orbem coetus legibus ferendis - SCRIBA.
Aenigmata - DIGAMMA.

In tertia operculi pagina:

Per orbem - VIATOR.
Varia: *Telemetrum acusticum - «Helladotherium» recens inventum - Ioci* - P. d. V.
Libri recens dono accepti.

XVIII num. ann. IV.

Agrariae Australianae leges - P. ROSSANI.
De fabula Milesia, quae inscribitur «Quo vadis?» cum Manzonii «Sponsis» comparata - A. CIMA.

De legalitate coemeteriorum christianorum - Ex ineditis M. ARCELLINI.
De Augsteis navibus in lacu nemorensi demersis - H. D. V. PIERALICE.
Nicolai Machiavelli sententiae de publicis vetigalibus - Latine reddidit C. DEHO.
Dureri tabula Iesum infantem referens cum doctoribus disputatem - LAELIUS.
Napoleonis gens - I. ANTONELLI.
Ephebi canentes, quos Lucas della Robbia expressit - X.
Maris profundum - M. LANI.
Aloisii Clasii «Lusus Pastorales» - Latine vertit I. BATTANIUS.
Vita functi viri clariores - I. F.
De primo chartae fabro - A. COSTAGGINI.
Annales - PROPOPPLICOLA.
Aenigmata - P. GARRONE.

In tertia operculi pagina:

Per orbem - FORFEX.
Varia: *Feles tabellarii - Lavantur et albescunt Aethiopes - Ioci* - P. d. V.
Epistolarum commercium - A SECRETIS.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

PRETUM SUBNOTATIONIS:
In Italia: Lib. 10 — Ubique extra Italianam:
Lib. 15, M. 12, Sch. 12, Doll. 3, Rubl. 6, Flor. 7 1/2.

BIS IN MENSE PRODIT

POSSESSOR ET ADMINISTRATOR:
ARISTIDES LEONORI, eques.
ROMAE - Via Alessandrina, 87.

SOCII MONITUM

QUEMADMODUM in « subnotationis prospectu » declaravimus, hodierna die, pridie kalendas Octobres, sorti committendum erat praemium sociis ad provehenda studia reservatum, tot aureis nummis constans, quot summan *mille libellorum* (francs) aequarent.

Cum vero ex sociis nonnulli nondum subnotationis pretium solverint, nos autem omnes qui commentario nostro nomen dederint praemii illius participes futuros cupiamus, sortitionem ad kalendas Novembres protrahere constituimus.

Cunctantes itaque ne different negotia sua cum Vox URBIS administratore componere: dies enim ille erit fatalis.

V. U.

“ALCOOLISMUS”

NOVM praesentique usu vulgatum et iam omnium fere gentium sermone percrebre-sens nomen in latina iniiciendum vocabula est, quo non praedicatur laudanda adinventio, non exponitur quid utile generi humano repertum, sed labes teterrima, sed vitium turpisssimum, sed semen infelicissimae mortis late in populis grassans et quotidie crescents, cuius letifera vis in patribus vitam filiorum labefactat, atque his, ne quid infelicitatis desit, morbos ab incunabulis parat, et, familiari re quassata et subversa, tetricam praesternit inopia.

Indulsisse vino maiores nostros quis neget?

*Narratur et prisci Catonis
Saepe mero caluisse virtus.*

At ebrietas, quae ex puro germine vitis est, si frequens, non tamen perpetua, sit, si certos intra fines contineatur, illud habet, quod saepe laudat Horatius, optimus in re index ac testis, Horatius, inquam, eius musa vino augebatur, virtusque vino calebat, ad instar Catoniana virtutis, nam « in vino veritas ». Hinc ebrietas illa non ministra mortis, sed laetitiae ferebatur, conviviorum comes, et solemnitatum pendissequa. Nova ebrietatis forma, novumque genus, quod nunc « Alcoolismi » nomine designatur, non ex vino, non ex uvis, sed ab elementis longe

aliis, etsi vegetantibus, hauritur, quorum vis in stomachum, in sanguinem semel immissa, venenum, cuius est « essentia », per totum corpus, per artus omnes diffundit, et siqua sint viscera debiliora corrodit, et miserabilem parat interitum.

Sed iam rem ipsam ordiamur.

Quinto vix ab saeculo, prout mihi fuit ante oculos in libro de physicis, chymicis, medicisque rebus latine conscripto et figuris ornato, recens ostendebantur eruditis tironibus et erudiendis modus, supplex et ars, quibus inclusa quantitate certa vini in vitro vase, vel aheno, cuius, ad similitudinem cygni, longius collum esset, si subtus modicus inardesceret ignis, vapor ex calefacto vino, at non ebullienti, per collum illud cyneum assureret. Porro, cyenus ipse super caput quasi ollam gerebat, quae vel glacie, vel nive, vel gelida perenni aqua rigebat. Vapor contactu frigidae superficie in humorem convertebatur, et humor hic per cyeni rostrum in lagonam guttatum descendebat. Huiusmodi liquorem pluribus, iisque egregiis nominibus decorarunt, et « aquam vitae », et « spiritum vini », et « essentiam » denique dixerunt, cuius praeconia plura quidem ferebantur tum pro confricandis membris dolore aliquo percitis, tum pro semianimo resuscitando, tum pro medicinali virtute, qua stomachus reficeretur, si ad Hippocraticam mensuram et numerum « epicratice » (verbum reddo) in os languentis infunderetur; qua denique nihil iucundius, nihil salubrius homini surgenti mane diluculo inter nebulas pestiferae palidis, et silvarum, et valium, aestivo praesertim tempore; qua insuper nihil validius ad sustentandum et vel subiectum calorem, si gradientem peregrinum occupassent frigus et nives, et rigentes venti hiemales, si Alpes, Apenninive nocte cohibusent ac detinuissent.

Casu dein, an ratione contigerit ignoro, at compertum est: I^o hanc « aquam vitae », hanc « essentiam vini », hunc « spiritum » fieri excellentiorem, si per illum cyenum bis, ter, quater et ultra usque ad septies purgaretur. Monebat liber, ne quis ultra septimum purgaret, quippe quia admotum ahenum ignibus flamas repente concipiens, ingenti flagrans cum tonitru et ignibus late effusis, domum et physicum una

exterminaret; itaque aut numquam tentanda rursus purgatio post primam, aut, si cui tantus amor, ahenum non ad ignes apponendum, sed infundendum in cacabo tepentis aquae, quae numquam tamen ebulliret. Liquorem hunc probatum bis, terque, quaterque vocabant « aquam vitae septies coctam », cuius laudibus et virtutibus celebrandis, immo enumerandis vel bibliotheca integra impar esset; dissipabat enim febres, pituitam, dentium cariem, surditatem, dolores capitis, artritem; purgabat bilem; iecori, cordi, ventri, ossibus, capillis, carnibus medebatur. Denique compertum pariter est — et hic iterum dicam, utrum casu an ratione, utrum forte an consulto id factum sit me nescire — compertum est, inquam, siquae herbae, putamenta, nardum, siqui flores, putas rosas, violas, lilia, in hac « aqua vitae » tepuissent, et cum illa in vaporem redigerentur, incoquerentur, « aquae vitae » numquam abdendum manere postea saporem, manere odorem, et fortassis etiam colorum herbarum vel florum, quibuscum ebullivisset.

Omnis hoc ex fonte manavit iniquitas. Nam postquam ea, quae medicis, physicis, chymicisque tantum permittebantur, procaci quadam libertate concessa sunt omnibus, singuli tentare plura, et in delectamenta convertere, quae ad salutem erant modo, cooperunt. Hinc aqua illa « vitae » medicata saccaro, melle, ut sic, dulcedine respersa, mollita facilius, libentius ebiberetur, non ultra « epicratice » sorbillabatur, sed ipsa gulosi ingurgitabantur; commixtae sunt herbae nocentes, occultum gerentes mortis acinacem, quales absinthium, aconita, et sexcenta vel peiora; repartae sunt herbae, frondes, flores, fructus, ex quibus contritis, et superfusa aqua, fermentum cieretur, et species conderetur quaedam inebriantis liquoris, qui tamen longe a vino distabat, immo et beneficium erat; liquor hic tamen aheno illo probatum dabat « aquam vitae », dabat vini « essentiam »..... Heu! non vitae, sed mortis aquam, non vini sed valde alius liquoris « essentiam ». At

*quid non mortalia pectora cogis,
Auri sacra fames?*

Lucro tantum proposito, facilis et prona in fraudes et crimina via. Hisce infandis, quae

vel contingere nefas sit, quae bonus quisque pater familias fuste et ferro a sua domo repelleret, hisce infandis, iam ab exordio præteriti nuper saeculi, plena omnia fuerunt, emporia, tabernae, cauponae, kaffeariae officinae; hisce inebriabantur qui voluptuose vivebant haud aliter ac ii qui laboriosis muneribus vitam terebant; illos alliebat ampullarum splendor, liquoris odor et sapor, hos vile preium quo inebriari possent modico hanstu, et quasi labore non interrupto. Ex repetitis actibus fit habitus. Iam displicebat vinum minus acre, et contra delectabat, immo delectabant breves illi cyathi, qui vim potentissimam parvo vel haustu praeferebant. Vitium invaluit, quod erexit vicinorum squalor, vini inopia. Hinc qui in meridionalibus Europæ regionibus suavissimo vino patrio utebantur, hoc relicto, se ad illa converterunt, quibus occiderentur, et ita ebrietas ex *alcool*, — ita vocant illam vini priscam « *essentiam* », unde « *alcoholismum* » diximus — quae in borealibus Europæ regionibus, si communis sit, excusationem habet in frigore aëris, et in vini deficiencia, etiam apud nos invaluit et invaleat, quamvis nondum illarum gentium ebrietatem exaequet.

Verum si res tantum in ebrietate quiesceret, etsi gravia inde ac lugubria oriantur, nempe rixae, vulnera, neces, iurgia, contentiones, iniuriae, pauperies, ignavia, in pace tolerabilis videretur; at nunc ex « *alcoholismo* » horrendae genus mortis defluxit, idque tam grave et ingens, ut qui rebus præsunt publicis magnas inde sibi curas impendere existiment, quasi de boste, qui populos eorum vicatim caede vastet, quasi de contagio, quod civibus rempublicam vinduet. Magnus Huss doctor, elapo nuper saeculo, in hoc flagellum sedulo studiis incumbens stravit iter; nunc plures erudit viri sequuti sunt et sequuntur, ut subsidii aliquid inveniant, docentes saltem qua fraude nunc « *alcoholismo* » cipientur et ii, qui penitus ab ipso refugere et refugisse videntur. Nam qui a liquoribus ex *alcool* præparatis sese semper abstinuerunt, vinoque tantummodo, etsi ultra fas parque, operam dederunt, hodie iisdem morbis, eadem, qua « *alcoholistæ* », morte amarissima multantur. Undenam hoc? Quia caupones, quia vini venditores non a vineis sed a fonte vina conficiunt, quae venalia ponunt; quippe commune est ex aqua, saccaro, *alcool*, et colore, nonnullisque aliis elementis, ut chymice docet, vina passim fieri. Inde mora non est quin ebriosi iisdem laborant incommodis, queis « *alcoholistæ* » laborant, morte ipsa miserrima non excepta.

At quaenam haec mors? Lugubre dicam. Ubi quis « *alcoholicis* » liquoribus manus admoverit iuges, ipso mane assurgens se debilem, se infirmum noseit; hinc vires ex liquoribus illis

reficiendas curat, nempe ex aqua-vitae, *rhum*, *vermouth*, absyntio, etc. Sorbillato cyathulo, mox cyathulis, postea poculo, dein scypho, se aliquid posse, firmum se stare animadvertis; hinc, ut melius roboretur, quia, si sumpta iuvant, repetita sanant, iterum, dato asse, sorbillat. Laetus sibi videtur, laetus et reliquis, immo iam is est, cuius in ore laetitia sedeat. O laeta ebrietas, initium dolorum! Nam primam hanc morbi faciem altera mox sequetur, nempe ignavia, somnolentia, et — veluti medici vocant — depressio; quam ut arceat, ut excitetur, ut reviviscat infelix homo nil præ manibus et carius habet, quam novam libationem. Age, miser! Viscera proxime inflammabuntur, et cor, cerebrum, viscera mox singulatim, mox simul lento concipient ignes inextinguibiles. Hinc primum aut amentia, aut stupor, aut delirium tremens; post haec vel repentina mors. At siqua infirmitas, etsi natura sua levis, irrepserit, illico mortiferos induit vultus et interficit antequam ad stuporem, ad amentiam, ad delirium quis perveniat. Dicimus compendio quod quisque diu considerare potest.

Quaenam ergo remedia?

Apud Anglos, et Scandinavos, ceterasque gentes, in quas usus hoc flagellum invexit, quasi abstinentium societas congregata est ad salutem societatis; non tamen omne tulit punctum. Apud nos, malum etsi nondum eo crevit, attamen cavidum ne crescat, eo magis quia se progressum minatur. Remediiorum via duplex. Prima ex observantia religionis, quam qui abiecerit, facile in vitia ruet; altera ex iure civili, qua tum lege multentur Manliana caupones et ceteri, qui « *alcoolica* » vendunt, tum puniantur ergastulo qui ebrii aut ebriosi in viis, domibusque versentur; tum præcipue saeviatur in eos, qui criminum suorum excusationem ebrietate proponunt.

SENIOR.

DE CASSIO SEVERO⁽¹⁾

CETERUM nondum apte ac perspicue his tantummodo, quibus usi sumus, argumentis Cassii vitam moresque effinximus, ideoque nunc maxime ea iuvat memorare, quae ad hoc Seneca rhetor nobis memoriae prodidit (2). « Oratio eius — ait Seneca — erat valens, culta, ingentibus plena sententiis. Nemo minus passus est aliquid in actione sua otiosi esse; nulla pars erat, quae non sua virtute staret, nihil in quo auditor sine damno aliud ageret ». Ex quo quum dicendi vim ac facultatem oratoris plane perspiciamus, tum quoque intellegimus eum, quamvis in deserto, ut ita dicam, clamantem in tanta animorum hostilitate, vehementem

(1) Cfr. num. XVII.

(2) Ep. Deletamat. 1. III.

ter tamen, civilibus studiis atque reipublicae amore adductum, argumentorum pondera inventis, quorum « omnia intenta, aliquo petentia » (1). « Verum est — pergit Seneca — quod de illo dicit Gallio noster: cum diceret, rerum potiebatur; adeo omnes imperata faciebant; cum ille voluerat irascebantur. Nemo non illo dicente timebat, ne desineret ». Quod quidem haud parum videbitur, præsertim quum nobis animo finixerimus magnitudinem Cassii corporis conspicuam, adeo quidem conspicuam ut « armentarii mirmillonis ei obiecta similitudo esset » (2).

Sed hoc maxime admirationem habet, quod « gravitas, quae eius vitae deerat, actioni supererat...., et quamdiu citra iocos se continebat censoria oratio erat » (3).

Nunc autem vereor ne verba quae sunt « gravitas, quae deerat vitae, actioni supererat » alieni in memoriam revocent Tacitiana illa « maleficiae vitae », de quibus disseruimus, quaeque ex quadam Taciti præiudicata opinione proficiunt autemavimus. Ne quis existimet *Controversiarum* locum posse aliquid ponderis Tacitianis verbis afferre, hoc in primis animadvertendum est, si quod probrum Cassii vitam foedasset, Senecam quidem, qui, ut diximus, diffuse eius facta moresque nobis tradidit, nonnulla scilicet hac de re memoraturum fuisse. Sed, contra, arbitramur verba: « gravitas quae deerat vitae, etc. » eo sensu accipienda esse quasi significant: « gravitas actioni supererat, quamvis Cassius, quum causas non agebat, nimium hilaris, lepidus, facetus esset »; quod, ceterum, et Seneca adfirmare non dubitat his verbis: « Cassius vir præsentis animi et maioris ingenii quam studii, magis placebat in his quae inveniebat, quam in his quae attulerat »; et scriptores insequentis aetatis argumentis confirmant. Hoc enim, Quintiliano auctore, acceptimus, Cassium, quum praetor in eo causidicos reprehenderet, quod contumeliis Varum Epicureum affecissent, ita iocatum esse: « Nescio qui conviciati sint et puto Stoicos fuisse » (4).

Praeterea, ut apud Suetonium legimus (5), « M. Pomponius Marcellus sermonis latini exactor molestissimus, in advocatione quadam (nam interdum et causas agebat) soloecismum ab adversario factum usque adeo arguere perseveravit, quoad Cassius, interpellatis iudicibus, dilationem petuit, ut litigator suus alium grammaticum adhiberet, quando, aiebat Cassius, non putatis cum adversario de iure sibi, sed de soloecismo controversiam futuram ».

Neque hoc satis. Fabius Maximus, nobili genere natus, qui libenti animo sub Augusti protestatem se subiecit, quique primus foro Romano locutiones intulit, quae gallice dicuntur « à sensatione » (quas Seneca « gallicum morbum » appellavit) verbo « quasi » saepissime in dicendo utebatur; quare Cassius facete: « Quasi disertus es, quasi formosus es, quasi dives es; unum tantum es non quasi, vappa » (6).

Sed plerumque acerbitate quadam utebatur, quae fere in contumelia erat posita, ut ex Quintiliani loco efficitur, qui, in VIII *Institutionum*,

(1) SENECA, 1. c.

(2) PLIN. *Nat. Hist.*, VII, 10.

(3) SEN., 1. c.

(4) *Inst. Or.*, VII, 5.

(5) *De Gramm.*, 22.

(6) SEN., 1. c.

cap. 3, Cassiana verba memorat: « Quid facies cum in bona tua invasero, hoc est cum te domino [nescire] maledicere? » (Cassius in adversarium quendam invehitur).

Ac denique dicenti adolescentulo: « Quid me torvo vultu intueris, Severe? — Non, mehereule, inquit, faciebam, sed sic scripsisti? ecce! — Et quam potuit truculentissime eum adspexit » (1).

* *

Ex eo igitur quod scriptores, prout sese offerunt occasio, haec Cassii ioca nunc lepide, nunc quoque contumeliose dicta libenter memorant, hoc fere etiam effici potest, Cassium temporibus illis quasi terriculum plerisque eius adversarii fuisse. Atque utinam his tantum salibus ad satiandum odium usus esset! Sed inerat, iam diximus, in eius animo nimia quaedam indignatio, quae cum dicendi vim ac facultatem augeret (iam vero iratus, ait Seneca, commodus dicebat) tum, contra, in magnum disserimen, vel, dicam, in apertam perniciem eum adductura erat. Ecce enim Cassius magis magisque in dies Augustum eiusque socios novis maledictis aggreditur, usque adeo ut in Maeccenatem libellum quendam famosum evulgaret, qui inscriebatur *De Bathyllo Maeccenatis*, cuius de argomento nihil certi adfirmari potest, neque in animo est conjecturas ea de re periclitari utique lubricas. Hoc unum satis compertum est, ex Cassii libellis praesertim, deinde Labieni et Cordi Cremutii, inductum Augustum esse ut huiusmodi scriptis maiestatis poenam adderet. Nam haec apud Tacitum legimus (2): « Primus Augustus cognitionem de famosis libellis specie legis eius (h. e. maiestatis) tractavit, commotus Cassii Severi libidine, qua viros foeminasque inlustres procacibus scriptis diffamaverat ». Ex quo facile adducimur, ut fere credamus Cassium procaci libello Maeccenatem diffamavisse, cum « in amorem Bathylli histrionis effusus esset » (3). Immo vero multa verisimili ratione in eo libello videtur mentio quaedam de ipsis Augusti moribus fuisse; qui princeps, ut ex Tacito scimus « indulserat histrionum ludiero, dum Maeccenati obtemperat... neque ipse abhorrebat talibus studiis et civile rebatur misericordia voluptatibus vulgi » (4).

Sed haud sane multo post editos Cassii libellos, Augustus, Tiberio adiutore, rem ad senatum detulit, eumque consuluit quid de Cassii libellis officii sui putaret. Dum deliberant patres, Tiberius, consultante Pompeio Macro praetore an iudicia maiestatis redderentur, exercendas leges esse respondit. Cassii igitur scripta senatus consulto abolita sunt, isque in exsilium electus est, anno circiter, ut diximus, VII^o vel VIII^o p. Chr. n.

At neque Cassii animo ea res tenebras offudit, neque, quod maius est, obtrectandi facultatem retardavit; nam exsul quoque, a republica remotus, is recentia veteraque odia advertit, atque adeo ut Tiberius, omni abrupta mora, eum bonis exueret, eique igni et aqua interdiceret.

Scrib. Galatinæ in Apulis.

JOSEPHUS MARRA.

(1) QUINT., *Inst. Or.*, V, 2.

(2) ANN., I, 72.

(3) ANN., I, 54.

(4) ANN., I, 54.

NOVA, NOVO SAECULO, INGENUIS ARTIBUS SPES.

GALLUS quidam fuit, scribendi arte peritus aestimator, qui professus est Aemilii Zolae libros, si cum optimis artium ingenuarum operibus comparentur, non aliter esse habendos quam pueriles lusus fictasque nugas, artis speciem, quae altiorem speciem mentiantur.

Rei veritatem multi ferme persenserunt, animadverteruntque simul eas esse praecipuas tanti detrimenti causas, quod non tantum cum urget Musa vel spiraret Apollinis flamen scalpare, aut scribere, aut pingere nostris diebus artifices contendant, sed quovis pacto tum secunda, tum invita Minerva prodere aliquid nitantur. Artium enim opera, quae antiquitus divina paene origine prolata apparuerunt, nunc contra, adactis commerciis, hominum in nudinas paene cum rebus omnibus, quae industria parantur, descendunt.

Accensa inde in artificum animis quaedam veluti amens voluntas aliquid continua foecunditate effingendi, unde pecuniarius questus ad vitam trahendam, aut ad ferendos immoderatos eius sumptus media suppeditarentur. Sublata itaque e medio sunt omnia quae ad nobilem forte metam hominum animos erigere possent, agmenque artificum plausibus universorum consulatum est, quibus e veritate effingenda « veristas » placuit sese dicere.

Ecciae tamen illis selecta cariorque veritas? Non alia sane, quam quae foedissima omnia et turpissima, quibus sorbet mundus aut corrumputur res publica, referret. Conaminis vero perniciosissimi falsa excusatio adducta, quod libellum esset artifici quicquid sibi melius videretur referre, ea tamen lege ut vere, proprie, et ad unguem reddat. Quinimmo adsererunt multi esse potius praelegenda quae vivendi incommoda hominumque vitia revelarent, eoque aperiunt, quo hactenus a plerisque dissimulatione quadam et silentio occultata fuissent.

His freti, « veristæ » illi multa in Gallia, in Germania, in America, multa et nos inter effinxerunt, quibus etsi commercium scriptorum editorumque crumenæ fuerint ditatae, quanta tamen utilitas publicae morum emendationi attulerint silentio praeterire melius est.

Quamquam brevis triumphus caducae laurea serta. Statim enim ac, nordicis praesertim ex Europæ finibus, nova illuxit redimendarum artium spes, nova opera diffusa sunt, quorum unum esset princeps consilium, solari miseros, mederi animorum curis, vitia humani generis emendare; quae quidem fabrefactas paene tot milesias fabulas, totque tabulas signaque pedestri scalpro coloribus ex naturæ adspectibus exemplata, obruerunt.

Hæc, cum similibus comparata, quae et in ipsis naturae disciplinis et in philosophia oboviri passim videmus, apparuerunt nobis indubia tamquam signa emendationis universæ, qua, tot post errores et culpas, ad Christum tandem hominum animos reducit. Ipsæ enim plebium multitudines, unde theatrorum caveæ complentur, si qua potius dramata altioribus plausibus excipit, ea iam fuerunt quae aut voluptatum amaritudines docerent, aut philosophiae vel christianæ religionis quaestiones endarent, vel

anxiis animorum dubiis, quibus exeruemur quotidie, responderent. Contra vero illi qui, singulari ac divino quasi semine sese ortos reputantes, obnubilosas fabulas deducere in seconam sacra religione demirandas non dubitarunt, somnia sua e sibilante cavae probata sane non reportarunt. Est pariter et novae spei index non dubius favor, quo et Tolstoi et Ibsenii, et praesertim Sienkiewiczii opera divulgata sunt atque accepta apud omnes.

Quod si quaesierit quispiam, qua nova mente innovandarum artium erunt selegenda subiecta, cum Paulo Mattei Gentili (1) verba quae Dostojewski, humanarum calamitatum summus ferme pictor, Raskolnikoff effectae a se personæ ex ore elicuit in memoriam revocabo. Qui dum coram misera puella genua fleetit, submisso capite haec fatetur: « Haud te, misera, ego salvato, sed universum hominum dolorem ».

Atqui idem erit futurorum artium ingenuarum munus, idem officium: humanos levare dolores, lenire calamitates, animos erigere ad Deum. Multa enim exscripta sunt de sociali hoe artium munere illudque plerique summi artifices explicuerunt certatim, optimeque tandem Russus vates ille Tolstoi edito libro *Quid est ars?* inscripto.


Opera vero quae huic novo muneri respondant perpaucæ hactenus elicita sunt. Calumniantur inde passim adversarii nostramque fidem et christiana praeepta quasi sterilia vituperant, ad quae cum artifex accesserit, restinctum brevi inde referet sui halitus ignem. Falsa quidem incusatio, atque iniustæ contumeliae, quas artium ingenuarum historia omnis luculentissime repellit; nam si qua passim elapsis saeculis pulcherrimo artificio nostras per gentes efficta sunt, ea sane fide atque religione suadentibus sunt comparata. Hodierne exiguitati alia prorsus atque toto caelo absona causa est; desunt enim adhuc ea instaurandæ societatis conamina certa, atque explorata et firmata consilia, quibus scriptoris pictoris animus incendatur: sunt multa adhuc de re dubia, incerta obvolutaque, sunt nonnulla etiam impervia artificibus, quibus plerumque summa publicarum regendarum divitiarum scientia non est, vel regendæ communitatæ notitia. Expectandum donec, saltem, quae a philosophis vel a rei pecuniariae peritis exagitantur hodie, ea tutoribus enucleantur formulæ et planiora vulgo evadant. Interea tamen hanc novam versus metam urgeri nos quasi universo populorum assensu sentimus, neque dubium est quin, decreta vix optima societatis instaurandæ lege, — prout alias sum in hoc ipso commentario ominatus ut brevi eveniret, — vates exsurgat princeps, qui novam aetatem prænunciet simul atque suis operibus ipse matureret; quem profecto aemulo studio quavis sub artium specie, pingendo, scalpendo, scribendo, aut musices canendo iuniorum legiones sequentur.

Qua tamen de spe animadvertisendum ante omnia, certo certius fore ut ea « socialismi » perniciosissimæ doctrinæ assecelas fallat omnino, quamvis ingenio praeditos maximo. Eorum enim consilia nihil iam sonant, nihil docent nisi odium in illos quibuscum vivimus, proelia

(1) PAOLO MATTEI GENTILI, *Alba di secolo aurora di arte* (Conferenza), Romæ, 1901.

in cives, neque amplius aliquid respiciunt quam caduceae huius vitae epicurea commoda. Christicolis contra ex agminibus, quae ad ingens opus manus iam contulere, expectanda quoque una cum morum emendatione, cum calamitatum medela, omnium ingenuarum artium redemptio.

L. ANTONELLI.



Venatio Cavensis

*En autumnus adest: botris tumidaeque rubescunt
Uvae, dum campis gratior aurā tepeſt.*

*Iam teneras mulcent aures modulamina cantus,
Villicus et simplex gaudia corde capit.*

*Herbifer est collis, frutices quo pabula donant,
Et viridis circum gramina myrtus olet.*

*Ardua stat pinus, fulmen nimbosque lacessens:
Otia sectantes arbor amoena iuvat.*

*Hic trochylus queritur septis, hic arte columbis
Auceps dum laqueos insidiasque struit.*

*Conspicis hic turres, priscae monumenta quietis;
Namque viatori non inimica monent.*

*Dum fugiunt tenebrae radianti luce diei,
Turribus e clivi commovet ora salus.*

*Excita tunc somno fudit narrare triumphos,
Anxia, quos sperat, sortibus alma Cava.*

*Est oculis longe volucres qui explorat acutis,
Signaque dat primus: Surgite, nimbus adest.*

*Iam resonat cornu: turri stat pervigil alta,
Ut pateat virtus laetitiamque ferat.*

*En volucrum nubes lente procedit in auras:
Vox strepit horribilis, saxaque funda iacit.*

*Saxa volant, fraudis nulloque timore sequuntur
Quo volucres tandem vincula torta tenent.*

*Retia laxantur: niveae sub pondere strident,
Dum quatunt pennas membraque cuncta metu.*

*Advena sponte venit collis spectacula visum:
Pingitur effigies pectore mira suo...*

*Iamque senes pereunt, nunc ardor et iste tepescit.
O quoties stupui nescius atque puer!*

*Heu rerum dubiae sortes, heu fata! Vicissim
Quae viguere nimis, fluctibus ima ruunt...*


*O redeant ludi, ludis redeatque per aevum
Turbine permotis sensibus illa quies!...*

Scrib. Cavae.

M. GALDI.



DE SENIS, URBE CLARISSIMA



aere expressi; in summo autem S. Ioannes Baptista, qui Crucem sustinet.

Aedes municipum, aspera quae viderunt reipublicae certamina, dies laetos triumphi ultimaeque cladis tempus acerbum, superba sunt moles, cocto exstructa latere, XII saeculi propria. Quae in medio est aedificii pars tres habet tabulationes, quae a latere duas.

Solidae neque multis instructae fenestris horridae apparent pinnis; adeo temporibus illis defensio ornamenti speciem prae se ferebat! Interior earum pars plures continent bonarum artium thesauros; in primis paeclarorum artificium imagines in muro depictas.

In dextero aedium cornu ab anno MCDXXIX ex aere aurato lupa exstat imposita columnae, eximium Turini opus; quod quidem in memoriam redigit fabulam illam, quae Senarum conditorem Senium ponit, Remi filium Romulique nepotem. In sinistro autem turris erecta magnitudine eximia quae del Mangia a statua quadam vocatur, per quam singulæ audiuntur horae atque in summo Patronum sustinet civitatis patriumque agitat vexillum. Sub turrim fons ille Gaia, qui primum XIV saeculo, universo laetante populo, in publicum locum perduxit aquam, pereleganti includitur aulæo ex marmore.




Templum S. Ioannis, Senis.

Baptisterium autem anno MCDXXVIII inchoatum artis est sane miraculum, ad quod plurimum ingenii atque curiae optimi illius aetatis Senarum ac Florentiae artifices, ut Donatellus, Iacobus de Quercu, Ghibertus, Ioannes de Turino studiose contulerunt. Basis aurata sex aere caelata comprehendit opera eaque sane præstantissima atque a divinis libris repetita; omnibus autem in angulis totidem simulacra: Iustitia, Prudentia, Charitas, Fides, Fortitudo, Spes. Insuper ciborium quoddam, cuius in aediculis imagines exstant Iacobi de Quercu genus referentes; superius sex angeli ex aurato

Possum permulta persequi de Senarum reliquis monumentis, de urbis originibus « antiqui sobolis Remi » de optimis viris, qui litteris vel artibus eam illustrarunt; de civium ingenio ac moribus, in primisque de perinsigni palma illa, quae etiam nunc ex instituto permanet; de summa eius pietate, quippe quae S. Catharinam, S. Bernardinum septemque pontifices filios suos praedicat ideoque « Virginis urbs » appellari meruit; de rebus denique bello gestis ab initio usque ad fortē ac memorabilem illam reipublicae defensionem, quae, ut ita dicam, eyenī canto ultima fuit Italorum libertatis: at, quoniam haec omnia persequi commentarii brevitas prohibet, hoc tantum votum proferam, ut numquam in posterum etiam in omnium rerum permutatione « gens nova » furore permota repentina quaestus malo contumet ingenio aedificia, templa ac reliqua clarissimae urbis perillustria vestigia.

N. CAPO.



DE SCRIPTORIBUS OPTIMIS IMITANDIS

Ad Caesarem fratrem.


ACCEPI epistolam tuam latino stilo exarataṁ, qua contendis a me aliquid tibi de rhetoricae arte velim scribere.

Gratissima mihi tua est voluntas, tibique ex animo gratulor. Verum, equeid non dicam ex cogitare, sed depromere tantum possum in hisce litterarum studiis, cum de iis innumerabiles paene ac doctissimi scriptores tam ornatae, tamque copiose sint elocuti? Attamen, ut animum expleam tuum, qui tantopere politioris humanitatis studio tenetur, reddam quae optas. Et cum tuis in litteris, nimium Tulli, qui pulcherrimas ad familiares epistolas dedit, vestigiis haereas, ad unguem de praestantissimorum imitatione scriptorum sermonem lubentissime mittam. At non omnibus imitationis praceptis te modo imbuere possum; nolo enim me longum in iter dare. De praceptis alias ipsem̄. Nunc velim solum intelligas quantum ad recte scribendum adferat adiumenti, qui recte utatur, optimorum imitatio auctorum; quod aequa mens edocet, et doctorum omnium, qui meliores imitati maximam adepti sunt laudem, plura exempla apprime confirmant. Habe igitur, frater optime, quae paucis exponam, quaeque in usum tuum derivare minime dubites, qui primo aetatis flore in gymnasii palaestrīs toto animo ingenium exerces.

Et primum, ut dubium evellam quod forte tibi mente potest exoriri, revokes velim sententiam illam Buffonii, nostrati editam sermone, quam saepe ex labiis meis accepisti, quaeque crebro per eruditōrum ora fertur: *Lo stile è l'uomo*. Optimum quidem effatum! quamquam haud novum, cum et probatissimis priscae aetatis scriptoribus pergratū. Quod Seneca, ethnicus philosophus, iisdem fere verbis ac Buffonius exprompsit, inquiens:

Qualis quisque est, talis eius sermo.

Ita ergo unusquisque auctor, quo potest modo, suus esse studeat, ut in operibus, veluti in imagine, ipsius prodeat animus. Equeid



Baptisterium in templo S. Ioannis, Senis.

enim iuvet opus, quod aliena vestigia premat singula, nihilque afferat novi? Remis adhuc oceanus, caelumque tantum secaretur avibus, si peritissimi omnium aetatum viri in ea dumtaxat, quae iam sunt inventa et prolata, inquirenda atque edenda vires intendissent, id consequi contenti quod alios sint imitati. « Nihil enim » — Quintilianus inquit — « crescit sola imitatione » (1).

Cave tamen, post haec, excellentium imitationem spreveris. Operosa namque de rerum inventu deque earum novo ornato sollertia, illorum omnium, qui apte et apposite scripserint, imitationem affabre consociat. Haec imo probati cuiusque scriptoris quaesita laus est, eamque magistri omnes tirones docent. Quare scriptor ille callidissimus, quem supra attigi, Quintilianus: « Neque enim » — ipse ait — « dubitari potest quin artis pars magna continetur imitatione. Nam ut invenire primum fuit, estque praecipuum; sic ea quae bene inventa sunt, utile sequi. Atque omnis vitae ratio sic constat, ut quae probamus in aliis, facere et ipsi velimus » (2).

Et sane quidem; qui enim vult recte scribere, invenire primum; inventaque deinde apte debet exponere. Quapropter cum rerum copia, sententiārum verborumque copia iungatur oportet. Iam, si optimus auctor et plura naviter cogitando invenit et cogitata ornatissime et copiosissime litteris mandavit, laboribus ipsius recte uti quid vetat?

Praeclarissimi quotquot fuerunt et sunt scriptores, praestantiores in pluribus sunt imitati. Ipsi immo perspectum atque exploratum fuit, ut ad probatissimorum lectionem adolescentes omnes cohortari deberent, qui et mentes excolare et stilum componere atque dolare in illis addiscerent. Ita Flaccus monebat Pisones:

*Vos exemplaria graeca
Nocturna versate manu, versate diurna* (3).

Quam ad rem comprobandum quaedam ex litterarum graecarum, latinarum, nostratū historia, deductā exempla in aspectum proferam. Unus enim exstat aliorum non imitator, Smyrnaeus poeta, naturam dumtaxat aemulatus. At Homerū imitatur Ennius, Enniū et Homerū Vergilius, Vergiliū deinde et alios imitatur Aligherius, quem deinceps alii quamplures, litterarum scientissimi. Diverso tamen modo. Meliora enim excerpunt, minus apta relinquent; et aliorum locutionem sic concoquunt sibi, ut in succum et sanguinem convertant, omniaque pro diverso rerum, loci, temporis, hominumque genere exprimant. Ita Vergilius, plures ex Ennio — ingenio quidem maximo, sed arte rudi — selegit gemmas. Ennius (modo succurrit memoriae hoc exemplum) in quendam qui capite obtruncatus animam exspirat, graphicum habet versum:

Semianimesque micant oculi, lucemque requirunt.

Et Vergilius brachium paene detruncatum describens:

Semianimesque micant digiti, ferrumque retractant.

Ita Aligherius ex aureis Maronis carminibus maximum emolumentum, quod habuit in litteris, sibi profluxisse memori cum gratia fatetur:

*.... io tolsi
Lo bello stile che m'ha fatto onore* (1).

Habeas modo, verbi causa, Charontis exemplum, quod adolescentium ignorat nemo. Charon, vigil Inferorum ianitor, qui

... ferruginea subvectat corpora cymba (2),

ab utroque concinne depingitur. At non idem color. Divinus enim poeta florentinus (hoc praecepit inter cetera attingam) praecaram hanc Vergili poesim, quae profanum olet, immortalis



Aedes Municipum, Senis.

(1) *Inst. Orat.*, lib. X, 2.

(2) *Inst. Or.*, lib. X, 2.

(3) *Epist. ad Pis.*, v. 268.

Religionis lumine exornat atque complet. Sed sint in oculis ipsorum versus. Vergilius canit (1):

*Portitor has horrendus aquas et flumina servat
Terribili squalore Charon, cui plurima mento
Canities inculta iacet; stant lumina flamma.*

Aligherius vero:

*Ed ecco verso noi venir per nave
Un vecchio bianco per antico pelo
Che intorno agli occhi avea di fiamme rote (2).*

Insuper Vergilius:

*Huc omnis turba ad ripas effusa rubeat...
Navita sed tristis nunc hos, nunc accipit illos.
Ast alios longe submotos arcet arena.*

Et Aligherius:

*Poi si ritrassero tutte quante insieme
Forte piangendo alla riva malvagia...
Caron dimonio, con occhi di bragia,
Loro accennando tutte le raccoglie;
Batte col remo qualunque s'adagia.*

Et Charontis itidem verba, penes illos, eadem. Sic enim Charon Aeneam increpat, qui *telluris operta subiit*:

*Quisquis es armatus, qui nostra ad flumina tendis,
Fare, age, quid venias; iam isthinc et comprime gressum.
Umbrarum hic locus est, Somni, Noctisque soporae;
Corpora viva nefas Stygia vectare carina.*

Brevioribus, at fere iisdem obiurgationibus Charon incessit Aligherium, qui, humanum generis corpus, inter animas aeternis addictas cruciatibus iter habet:

*E tu che se' costì, anima viva,
Partiti da cotesti che son morti.*

(1) Ibidem.

(2) Inf. III, 82.

[1] la notte 17, quando lo strano ospite de
cominciò a cantare all'alba più tardi, solo
andò a dormire.

COMMUNIA VITAE

Latinitati utile,
recens, vaporitraha rapiente, iter.

MILITES nostros operam, in Viterbiensi ad Ciminum pago, campestri exercitationi navantes visum ire decreveram, ut qui sanguinolentae aspectu pugnae semper carui, incurvantem saltem viderem, cui nihil, praeter caedes, deest ut vera videatur. Iuvabat autem et stimulabat multorum auctoritas, qui milites nostros in ipso simulacro pugnae ita prae se ferre dicebant, quales alii nusquam, et rem, quamvis exercitationis tantummodo causa deductam, ne quod in simulato proelio didicissent in vero certamine perhorrescerent, ita tum ad velitationibus, tum tota acie et agmine ostendere, ut maximus inde esset honos facientibus, et maxima pariter videnti iucunditas.

Nudius tertius igitur, primo diluculo, pedester in regionem trans Tiberim, abibam domo, ut illic, in statione nupera, chartula, seu tessera munirer, qua currus vaporitraharum ingredenser, et commode sedem in transbris. Numquam lucrum et utilitas diligentes defecit, prout sive raro, sive numquam defuerunt incommoda segnibus. Et me lucrum, me sperata utilitas iam demulcebat, quippe mens erat idoneum in curru nancisci locum in angulo, ubi, somniculosus adhuc, possem placidae me quieti concedere, et suaviter, dubio in errore somni et vigiliae haerens, dum agitor curru, qui cito praetervolat, extra viae fastidium et expectationem Viterbiensi urbe portari.

Haec mente versabam, cum ecce, mihi dexter ab dextra quadam via, Forfex noster lento et ipse pede incedebat, non melius, neque potius me gradiens, quippe uno prorsus oculo dormibat adhuc, nescio an

Sibylla autem, quae it comes Aeneae, misticum aperit ramum qui *veste latebat*; post hanc Charontis

Tumida ex ira tum corda residunt.

Dux item Aligherii hanc illi reddit:

*Caron, non ti cruciare;
Vuolsi così là, dove si puote
Ciò che si vuole; e più non dimandare.*

Hue adde pulcherrimam foliorum similitudinem:

*Quam multa in silvis autumni frigore primo
Lapsa cadunt folia...*

*Come d'autunno si levan le foglie
L'una appresso dell'altra, infin che il ramo
Rende alla terra tutte le sue spoglie...*

Verum ne nimis longo utar sermone, extremum habeas imitationis exemplum: Homerus et Ennius, Vergilius, Tassus quoque ac Metastasius veris expressum coloribus ob oculos *equum* ponunt. Atque alter alterius ita vestigia consecutatur, ut quisque tamen suus esse videatur. Hos inter, elate, veluti aquila, quae sublimes in auras assurgit, Homerus sese extollit, quippe qui princeps equum pinxit qualem natura videmus. Hunc ipsum deinde Ennius, pauca adiungens, describit. Maro tamen vividius; quem propius sequuntur Tassus levi admodum discrimine, et Metastasius strictius eum comprehendens.

Quantum ergo adiumenti, ad recte scriendum, adferat, qui recte utatur, optimorum imitatione auctorum, nemo est qui non videat. At

sinistro vel dextero, altero...; ah! alterum nondum bene aperuerat.

Tunc ego: — Heus, tu, dormifator matutinus qui semper es, scio te; et unde venias et quo vadis agnosco, sed cur tam citus, ut nondum omnino experefactus videare? —

Tum Forfex, uti erat adhuc somni caligine plenus, et quasi capitosus: — Qui seabiem vellicas alienam tuae incuriosus et negligens, cur tuam potius ungue non scalpis? Forum illud Claudii, quod Itali nunc *Oriolo* appellamus, in Viterbiensi, peto, ubi uxori, ubi filii, carissimae mihi vitae, me exspectant; illuc enim nuper illos deduxi, ut aere purissimo, et otio recrearentur et reficerentur. Te contra in hasce ita matutinum maturantemque regiones quenaam vocant negotia? —

Atque ego roganti quae statueram, quae me letulo depulerant, non abscondi; nec moratus est Forfex: — Ergo quoniam eadem tibi mecum via, meus conviva eris hodie, quippe iamdiu te in meam, epistolio misso, domum invitavi Oriolanam, iucundique illuc te, uti nunc ego, filiique suscipient mei et uxori. —

At ego intercedens illi: — Gratias ago, sed aliae me res alio vocant et account. Nonne andis Horatium iubentem?

— Ecquid — ita Forfex — te nunc iubet Horatius, qui nec me, nec te futuros fore, nasciturosque sciebat, et utrumque, o fortunatus hominum!, ignorabat? —

Lente ego et pacate, ut solemnior essem:

— *Linguenda tellus, et domus, et placens
Uxor.* —

Risum Forfex continere non potuit, adeo lepide percusserat alia praestolantem locus ille, qui de morte loquitur, minime vero de *Oriolo*, de uxore ac de liberis eius, et de me. Aequo gradientes pede perverneramus ferme ad portam loci, ubi venales illae sunt chartulæ ad viam; at Forfex ingressurum se negat, mihiq; ingredi volenti obstat, nisi...;

«recte», dixi, et «optimis» auctoribus utamur oportet. Hoc enim adolescentes in primis egent, ne imitationem illam adament, quae idecirco «puerilis» vocatur. Saepe enim usu venit ut illi nimium «ad verbum» auctores imitentur; quam ob rem musiva, uti aiunt, opera concinnant. Sic igitur alios sequaris, ut tibi non aliis tuam adiudicent locutionem; more modoque apis, grata huc illuc carpentis thyma, quae deinde in mel dulce ipsa convertit. In quod spectavisse reor Flaccum, cum ira incensus caneret:

O imitatores, servum pecus (1).

Nam, ut «exactissimo iudicio» admonet Quintilianus, (2) «circa hanc studiorum partem examinanda sunt omnia. Primum, quos imitemur; nam sunt plurimi, qui similitudinem pessimi cuiusque et corruptissimi concupierunt». Quia in re attentissimum magistri dictis te praebe, qui rectum commonstrabit iter; idque eo magis quod «et in magnis quoque auctoribus incident aliqua vitiosa» (3).

Optimos ergo, bone adolescens, auctores imitandos sume, quos assidua evolvere manu, penitusque cognoscere cura; in his enim solum et mentem locupletare atque exercere, et ornatum copiosumque scribendi genus extruere poteris. Sic eris, quem quaero, praeclare litteris exultus. Vale.

DOMINICUS MANCINI.

(1) Ep. XIX, 1. I.

(2) Loc. cit.

(3) Quint., Ibid.

— Atqui minime intrabis, nisi prius dixeris quid intertextum parasti pro commentario nostro «Communia Vitae» scripturus. —

Ego, quasi cadens, cui nihil arripendum suppetit, dum protendit per inane manus, reddebam claudicans: — Ego... intertextum... pro Commentario nostro..., revera nihil ausus sum praeter... somnum istum tuum et meum, quem ducentes nobiscum et ambulantes negamus ad invicem, quamvis amice ipsum retineamus uterque.

— Scribe — inquit Forfex — scribe de somno; nihil enim somno communius; nec vita esse potest, nisi congruo somno beetur et restauretur.

— Propterea quod — addo ego — Catone magistro commodante verba: «scibo rectius, ubi dormibo libenter», sicut ille villicus, cuius tam bene pingit officia. Festinemus ingredientes, et empturi, periculum quippe est in mora, nec tui te Orioli accipient, nec me Caprarolenses. Proh lagorum oblivious qui sumus!

Composita igitur inter nos pace, intramus, emimus, properamus ad currus, quibus addita iam vaporitraha magno cum murmure fremebat, quasi praecepit cursum mente conciperet, rotasque de arripiendo moneret. Soli prius optimo assedimus loco iuxta fenestram, quae in occidentem spectaret, ut solis orientis incommode carorremus; alter coram altero adversi. Tum viatorum accedere turba, tum frequentes custodum, ducumque voces, tum consanguineorum, propinquorum, amicorumque nuclei hic illuc, qui abeuntibus valedicerent, qui de reditu felici et proprio darent omnia; oscula, lacrimae, salutationes ferme hinc inde innumerabiles. Tandem tintinnabulum, signaque excedendi sonuerunt, et acutissimis non dicam sibilis, sed barritibus aërem et aures vaporitraha lacerante, nubesque fumi plenius eructante, proceditur.

(Ad proximum numerum).

H. DE VECCHI PIERALICE.

AD AUSTRALEM POLUM
NOVA SUSCEPTA ITINERA

VETUS proverbium est: suadere verba, exempla trahere. Regius e sabado sanguine adolescens, qui nuper loca vestigans gelu aspera sempiterno in finibus aretois, aeternam sibi laudem in geographicis annalibus comparavit, ut pote qui non ante calcata potitus est via, et eo processit, quo nemo antea pervenerat, nonnullos exemplo incitavit suo, ut in aliquod eiusmodi facinus nitentur. Itaque praeterito mense navis, cui nomen *Discovery*, de Spithead excedit australes, quas Antarticas vocant, exploratura regiones, et repertura ac designatura locum, qui « polus magneticus », boreali obversus, sit illuc habendus.

Superiore anno rumor personuit circa polum hunc, a duce anglo navi *Crux Australis* Borchgrevink, Augusto mense, anno 1898, ab anglis pariter litoribus abeunte, et repertum, et designatum, et denunciatum fuisse; nunc autem, cum illuc navis *Discovery* ire contendat, dicendum est aut inesse dubium de polo illo reperto, aut saltem inventionem illam confirmatione ac testimonio indigere. Siquidem proculdubio est Borchgrevinkii navem eo pervenisse, ut tantum millia passuum ducenta inter ipsam polumque numerarentur; post haec rediisse. *Discovery*, quae nunc abiit, pepigit quasi foedus, percussitque, et pollicita est se, nisi prius polum illum attigerit, non reddituram.

Octavo iam inde ab anno, qui rei auctores et capita sunt, quae perfecta sunt nunc, moliebantur; at nervus ille rerum omnium gerendarum, pecunia, deerat, neque res publica, frustra flagitantibus plerisque viris, necessariam negotio vim auri suppeditabat. Quo factum est ut Angli quamplurimi, indignantes aerarii publici avaritiam et socordiam, collato aere, ter centena libellarum millia tradiderint; post hosce Anglus quidam dives, Elewellyn W. Longstaff, centum insuper millia libellarum dono dedit; atque hisce exemplis excitata tandem aliquando res publica quaerenti populo morem gessit, ac decies centena libellarum millia praestitit, ne privatis principatum cedere videretur, et avaritiae labo sese purgaret. Itaque duci Borchgrevinkio ultra quam vicies centena millia libellarum fuerunt prae manibus, qui hisce optatis tandem potitus est. In navalibus East-India omnia et singula confecta sunt; naves et condita, et instructa et ornata est, praesuntque negotio gerendo, expediendaque rei et maritimi itineris conficiundi et perficiundi peritissimi viri et manu fortes, et industria dexteri, et consilio praediti, et sapientia prudentiaque spectabiles; habes enim et Robertum Scott imperio a duce alterum, et Royds, Barne, Armitage, Shackleton, Shelton subcenturiones. Dotissimae virorum turmae praerit Georgius Murray, usque ad Lyttelton. Polum vero attingent, aut una morientur ulterius iter prosequuti chirurgus et botanicus Koettlitz, Wilson chirurgus, zoologus et ingenuarum cultor artium; Hodgson biologus, Perrard geologus, chymicus, physicus, Aloisius Bernacchi terrestri magnetismi scientia plusquam longe et exuberantius imbutus, geometra, astronomus. Quid splendidius? Navis populus duo de quinquaginta ho-

mines numerat. Triennio quac sit satis annona oneratur, tamen sequenti anno altera naves praeeuentem cibis, adminiculisque omnibus instructa sectabitur, exquireret, inveniet, iuvabit; cautum enim est in foedere ipso quod siqua tellus, quomodo cumque illuc emicaverit euntibus, ipsam adipiscantur, ipsa potiantur, et in ea, annum integrum degentes, quasi parvum emporium et exiguum navale, stationem uno verbo, constituant, muniantque, et relinquant custodientes in ea viros; haec autem (quos ferat cumque fortuna casus) quasi refugii locus et arx exstabit vel navi exutis, vel errabundis, unde, altera accidente navi, redditus in patrionem pateat. Cetera inter instrumenta et machinas, quae Minervae, quae Martis sunt, aërostatum est, fune cohibendum ne vagetur, unde circumspicere longius liceat, atque rarus et levis aëris, quo illud infletur, ferreis carceribus portatur inclusus. Hiberna ponent, ita propositum, hoc anno in promontorio Adare, in regione, quae Victoria dicitur, inde, trifariam cohortibus distributis, redeunte vere ad « polum magneticum », quam maximis poterunt itineribus ire, contendent.

At non uni tantum Themistocli Marathonia trophyae somnum admunt. Italicas aemulans laudes eundem, quem Angli, polum petet Germanica naves, quae *Fridericus Gaus* nuncupatur, duce Drygalsky, ad rem in navalium Kiel exstructa et ornata, et, quamvis diversum per iter procedens, socias Anglis in assequenda re manus datura. Stabit quasi centurio princeps imperio H. Ruser, cui minores haerebunt Lerke atque Ott. Insignes in ea viri erunt pro geologicis disciplinis Eryh-von-Drygalsky, ipse qui naves et dominus, pro zoologicis et botanicis E. Vanhoffen, pro geologicis et chymicis E. Philippi, pro medicis et bacteriologicis H. Gatzert, pro terrestri magnetismo ac meteorologia Fr. Bindlingmaier doctor.

Haec, metam in eamdem coniurans, dextrorum procedet, dum Anglicia sinistrorum. Insulas Kerguelen adibit igitur in Oceano Indico Australi, iisque in insulis, non secus ac Angli refugii locum in possibili terra propiore polo, refugium, arcem, stationem communient, ubi Werth doctores biologiae exerceenda, Luyken magnetismo et meteorologiae navabunt operam, adiuvante insuper utrumque Warthmannio. Ex illo Kerguelensi globo naves in orientem sollem procedet usque ad nonagesimum gradum (merid. Greenwich); mox, siqua tamen ea sit, in litus, quod *Termination Land* nominant, indeque in occidentalem Terrae-Victoriae perget ripam. Ubi novum ver futurum erit, traheis in australem polum et in magneticum tendent.

Nos, quibus omnia cordi sunt, quotquot compandae sapientiae negotia, tentamina favent, plaudimus ultro conantibus, et prosequimur omnibus, et votis ut bene utriusque naves viris omnia vertant, plenumque assequantur, quod sperant. At votorum et omnium et spei causa altior mente manet, quae futurum iam ab inde prospexit, eamque sine ostentatione et ambitione aperimus. Vires in natura potentissimas experimur tres, nempe I^o lucem, qua germinat, vivit, ac viret quidquid herbarum, arborum, animantium toto in orbe terrarum est; II^o electridem, quae nunc in servitatem redacta infinitam

propemodium potentiam suam bono hominum exerit; III^o magnetismum terrestre, quo, me iudice, nisi mea me sententia fallat ac diversum agat, et circumfertur et circumvolvit orbis noster, et quot planetae sunt, quot sidera circumferuntur et circumvolvuntur. Si iure potentia deducitur a patratis, et effectus quasi mensura causae iure praedicandus fuerit, vim non video, quae de principatu possit cum magnetismo contendere. Velum removere nolo, quo Deus futuri temporis exitum caliginosa nocte premit, at singula, quae ad magnetismum terrestre noscendum conferant, toto corde saluto, totaque anima amplector; quemadmodum enim lucis ministerio, telescopis iuvantibus usi, caelestia spatha peragramus, quemadmodum ad inventis electride et utimur et laetamur, sic magnetismo quae sunt in campis caelestibus feliciter fortasse patebunt, quae in terra sunt, potiore vi dominabimur.

Quis olim crederet ab electro paleas trahente ea demum homines adepturos, quae nunc faciente electride comparamus? Itaque ad magnetismum quaecumque pertinent nemo levia, nemo inutilia putet; latet enim fortasse in hisce quod homines magnis et sollicitudinibus et laboribus liberabit.

Quod quidem flagitamus non modo ut sit, sed ut cito sit, ut humanum genus tot, quibus obsidetur molestiis, tandem aliquando solutum, quod ius, fasque virtusque postulant, nulla inopia, nulla necessitate in malum adigente, sequatur, et quae agenda sunt, ea optime agat, et, quoad vivendum sit, beatissime vivat.

M. LANI.

WILHELMUS MAC-KINLEY

ALIA igitur victima insons, infando crimine ab animanti quodam immolata est: non hominis enim nomine illi condecorandi sunt, quibus nullus deum metus, nulla religio, patriae caritas, humanitas nulla, sed odium immane, incredibile, nefariis sensibus inclusum profundere atque explere in summos rerum publicarum rectores unum est vitae institutum. Wilhelmus Mac-Kinley, Civitatum Foederatum in America septentrionali praeses, cum omnes spe erigerentur fore ut illius vita, per violentas manus in discrimen adducta, suis cibis servaretur, postridie id. Septembr. adverso fato concessit.

Niles in regione Ohio natus IV kal. Jul. an. MDCCXLIV primum sese militiae addixit stipendiique summa cum laude meruit; sed praestanti indole acutoque ingenio praeditus, orator plenus atque perfectus, vir ad efficiendum promptus, in patria bellis absolutis, militiae campum deseruit et ad iuris studium, ut novos ac diuturnos triumphos reportaret, totum se adiunxit. Re quidem vera novus hic vitae ordo maximorum honorum cursum ei aperuit, cum decennio post, an. MDCCCLXXVII populi orator fuerit renunciatus. Erat tum Nordicae Americae coetus ob oeconomicas res in duas partes divisus, quarum una liberae mercium commutationi favebat, eique Americae fructus protectura altera vehementer obstabat. Horum

consilia Mac-Kinley amplexus est, acriterque defendit, plurimumque legum — *bills* anglice vocantur — auctor fuit, quibus portoria magni pretii constituerentur; tantam sic auram popularem meritus, ut cum an. MDCCXCIV comitia ad omnium civitatum praesidem eligendum fierent, huic officio facile fuerit designatus, quod reapse obtinuit, ac recens habuit confirmatum.

Rem publicam ipso curante, Foederatae Nordicae Americae Civitates novam prudentiae civilis rationem suscepere: certum est enim Mac-Kinley rei publicae notam propriam, viam bene finitam signasse, qua ab illa Monroe doctoris sententia procedens: «America Americanis» eique iudicium veri statuens, vim et potentiam Americani imperii sanxit. Quae quidem vis et potentia ex sodalitate manat, qua civitates illae foedere iunguntur, ex summa rerum ab ipsis in Americis acquisita, ex lucis et opibus quibus pollent, ex quavis ab externis gentibus libertate, ex agro denique longe lateque patente extra fines a natura donatos.

Wilhelmus Mac-Kinley tali modo gloriae basi excelsae innitebatur securus: atqui ab altitudine illa, cui lumina suorum civium omnium libere ac superbientes fere figebantur, eum depellere fulguri homicidae datum erat!...

I. F.

ANNALES

Mac-Kinley obitus et Theodori Roosevelt in administranda re publica successio — Columbianum bellum — Russorum Caesaris iter in Germaniam et Galliam — «Balkanici» motus — Transvaalianae advelitationes — Maurusios inter et Iberos dissensio — Austriacum cum Mexicanis foedus.

WILHELMUS MAC-KINLEY, Civitatum Foederatarum Nordicae Americae praesidis, caedes praecipuis sane, licet tristissimus, horum dierum eventus. Cui quidem, dum, Buffalo in urbe, americanam artium omnium recognitio nem invisit, Czolgosz quidam Polonus genere, natione vero Americanus, quasi salutatus obvenit, binos contra igniballistulae ictus in eum mittit. Vulnera inde adverso corpore parta haud mortifera primo videbantur, ita ut omnium cum gaudio passim dictaretur brevi futurum ut praeses imperii summam rursus posset resumere; at, paucis post diebus, tabes superveniens eum ad letum adduxit. Itaque alter a praeside, Theodorus Roosevelt, iuxta Americanae nordicae reipublicae statuta, eius in locum succedens, suum statim insurandum praestitit edictumque edixit Dei praesidio gentem sibi creditam committens ac protestans se eadem civili prudentia usurum, qua laerimatus decessor magnam sibi peperit gloriam.

Quae quidem nunc saltem necessaria in Americis appetitam innotuit, Venezuelana respublica, Foederatarum Civitatum oblata officia reiiciens, Rio Hacha litus fulmineis tormentis oppugnavit, suisque copiis cum rebellibus Columbianis, quibus Castillo praest, ibi coniunctis, ad Rocas-de-Toro urbem Columbiae milites fudit. Nunciatum est etiam Equatoris exercitum terra marique Columbi pervasisse; quamquam id etiam

diaria retulerunt eius civitatis praesidem Alfaro solemniter declarasse se neutrius parti accessum. Procul dubio futuris rebus influet virtus ac praestantia quam Roosevelt ostendet, et omnes expectant. *

Russorum Caesar iter in Galliam perduxit. Non id tamen tanti momenti habetur, quanti cum Germanorum Imperatore is, qui praecessit, ad Danzicam occursus. Illic enim, si vera sunt exposita, Augusti potentissimi de «Balkanis», quae nuncupant, negotiis inter se disputarunt.

In quibus regionibus nulla omnino quies: Bulgaria enim et Rumania torvis oculis ad invicem intuentur; Albania autem in seditione versatur, siquidem Malik *bey* una cum suorum civium magna caterva ad Corizzam septem *bey* Turcas aggressus trucidavit et Albaniæ libertatem edixit. In eum Ianninae praefectus magno militum agmine procedit.

De insidiarum Transvaaliano certamine haec habemus, a Methuen, anglico duce, Delarey ex Van-Kander et Great-Marien locis remotum; Van-der-Vern autem, Boerorum tribunalum, ad Driefontein occisum esse; Boeros contra ad Reitsiding Anglorum cohortem captivam fecisse. *

Sed e septentrionali quoque Africa belli rumores his diebus insonnere. In Maurusia enim cum Kabili piratae Ibericos nonnullos captos in vineula conieccissent, neque ii qui ad gubernacula regni sedent Ibericae civitatis protestationibus auscultavissent, haec, ceteris Europæ nationibus consentientibus, Maurusio imperatori ad peccatum expiadum diem dixit, quo frustra elapsa, ad vim ipsa procedet.

Rem tamen componi posse confidimus, et amicitiam instaurari, eoque facilius quam Austros inter et Mexicanos contigerit, qui tantum his diebus post annos triginta et quatuor foedus renovarunt ob necem Maximiliani Magni Ducis fractum.

PROPOLICOLA.

PUBLICI PER ORBEM COETUS LEGIBUS FERENDIS

IN Argentina republica in municipum oratorum coetus maxima orta est contentio de ipsius praeside eligendo. Quemdam enim Campos Salles ipse, reipublicae praeses, proposuerat candidatum, in quem qui contrariae factioni inseruiunt, vehementer insurrexerunt: res ad pugilatum usque processit, ex quo Cardoso, populi legatus, male mulcatus discessit.

In Chilena novum administratorum collegium electum est, eique Barros Hicof praepositus.

In Peruviana qui publicis rebus praeerant munus abdicarunt.

In Serbia Senatorum expletae electiones, quae summis civitatis moderatoribus favorabiles evasere.

SCRIBA.

LIBRORUM RECENSIO

DOTT. ERMENEGILDO DE MICHELE. *Ammaestramenti ed Esercizi di Analisi e Sintassi Italiana e Latina in correlazione, ad uso delle Scuole Ginnasiali.* — Neapoli, ex Officina Michae lis de Auria, MCM.

Hanc semel coetus virorum studiis per Italianam moderandis admonuit ut sermo latinus publice in

scholis tradiceretur, non seorsim a vernaculo, sed cum hoc perpetuo collatum. Quod quidem optimo consilio factum est, non tam ut iuvenes utrinque linguae similitudines, quae minores profecto sunt, quam ut longe maiores dissimilitudines adnotarent.

Iis decretis inhaerens vir cl. Hermenegildus de Michele, librum confecit, in quo tum grammaticae, tum compositionis, seu *syntaxis* regulas conflavit, quae ad utramque linguam pertinerent, aptavitque singulis praceptis mixtas exercitationes.

Laboriosum huiusmodi opus et ingeniosum et multiplex, magistrisne an tironibus opportunius habendum sit, experientia docebit. Equidem sic existimo, planius agi posse cum pueris, si normae compositionis ante tradantur, quae propriae sunt vernaculi sermonis; his abunde instructos adolescentes, retentis quidem iisdem artis nominibus, quantum fieri potest, sed tractatione distincta, ad linguae latinae studium melius accedere. Distincta vero tractatio minime obest, quominus crebrae inter utrumque sermonem comparationes instituantur.

De bonis litteris disseruit ALOSIUS MANNUCCI doctor philologiae. — Emporii, ex officina Titi Guai nai, MCML.

Brevissima, sed ad unguem castigata Tullianum que referens nitorem oratio est, in qua cl. scriptor postquam docuit, in liberalissimis studiis ciuusvis doctrinae semina inesse, et graviorum disciplinarum studium cum elegantiore doctrina esse coniungendum, debitam Nuntio Nasi, summo disciplinae publicae moderatori, tribuit laudem, quod ad latinam linguam in altiore dignitatis et honoris gradum restituendam nuper decreverit, ut adolescentes lyceorum italicorum scholis egressuri, locum aliquem ex italicico in latinum convertant.

P. ANGELINI.

AENIGMATA

I.
Insignis sceptro princeps vox prima; secunda
Bina notat, terrena multiplicata vice.
Verte retro primam, retro quoque verte secundam;
Versas in vocem contrahe, quae, novam.
Persarum subito cernes, mihi crede, tyrannum,
Qui doluit quassas ad Salamina rates.

II.

Pars prior est breve pronomen, cui littera duplex;
Alera rimari bestia sueta lutum.
Totum est urbs Asiae, quae vidit, nate Philippi,
Agmina Persarum robore strata tuo!

FR. PALATA.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad commentarii moderatorem miserint intra duos menses, unus, sortitus, gratis accipiet opus novissime editum, cui titulus:

PETRI ANGELINI
LOLLIUS
SIVE
DE PROVECTA LATINITATE.

Aenigmata a. IV, n. XV proposita his respondent:
1) Ce-res; 2) Lacus, Locus, Lucas.

Ea rite soluta miserunt:

Ed. Bianco; Th. Vinas Sch. Piar, Roma. — D. Le Provost, Briocen. — Aug. Mager, Seccovio. — Princ. Gordon, Man cunio — Ioan. Cantono Ceva marchio, Vercellis. — F. Ar nori, Mediolano. — V. Hertel, Mendisio. — I. Walter, Neo-Eboraco. — Valentinus ab Aletrio, Tusculo. — Ant Lassota, Mandea. — W. Matloch, Mata — I. Szymaitis, Optotochino — Mich. Vidal; Alois. Laforteza, Palma. — Hern. Gini, Taurinis aquis. — Lud. De Rubois, Iguvio — P. Garrone, Pezzana ad Vercellas. — Guil. Schenz, Ratis bona — Fr. Sallarés Sch. Piar, Sabadello. — P. Desiderius O. F. M., St. Louis. — V. Starace, Neapoli. — Alois. Capelli, Senis — A. Burg, Argentorato. — Ad. Skrzypkowski, Szwince.

Sortitus est praemium

AUGUSTUS MAGER,
ad quem missum est opus, cui titulus:

PETRI ANGELINI
LOLLIUS
SIVE
DE PROVECTA LATINITATE

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus.
ROMAE — Ex officina Pacis Phil. Cuggiani.

PER ORBEM

RUSSICA vestigia suprema itinera praestant. Makaroff, praefectus russicis navibus, in polum articum novas instruit copias, novumque parat aeternae glaciei bellum. Navis, quam concendet, *Ermak* nomine insignis, exiguam carbonis in scapha excipiet copiam, quare, ipso fatente russicorum duce, ausus, quem movet, fiet magis arduus, ne forte calor et flamma deficiant, quibus cortina navis torrefacta impulit igneo vapore fumido in inertes glacies asperum navigium, non aliter quam in petitas portas percutiebant olim milites ariete. Itineris autem primus esse finis non tam videtur polum contingere, quam et Zembla satis ignota littora, apte deducta semita, explorare.

Quod si, his diebus, dux ille suscepisset iter titanicum quod iam meditabatur, scandinavos forte pertransiens circa fines, horrendum audiisset ruinae bombum, fragoremque et strepitum domuum corruentium. Guttong est enim Scandinava urbs, cuius ad moenia stabat officina pulveri ignei confiendo sacra, vulcanicum opus ac formidolosum! Nec falso: nam aliquid repente, ignitum ferme, in magnum acervum elaboratae pulveris congestum cum incidisset, ecce exardet omnis domus, proiliunt tecta, humi prosternuntur muri, et qui aderant miseri operarii tanta ruina ad necem vulnerantur. Nec satis: erat enim opificio proxima sylva densa atque umbrifera: hanc flammae, vento inflatae facile attigerunt, adusseruntque passim, per aliquot dies.

Sed ignitae pulveris damna recolens teterima ea praeterire non possum, quae Genua in urbe contigerunt. Milites suae artis exercitationibus vacabant, cum tormentum bellicum, quod suo tempore haud tonuerat, ita ut manuballistarii rei inquirerent causas, ex improviso diruptum est et in frusta paene machinatores heu! reddidit.

Fatigatum autem torrida adhuc manente canicula, igneaque tanta clade VIATOREM, nordicae appellant iterum regiones, nordici eventus vocant: *Minski Eotok* enim russico in diario novum perlegi barbarum congressum, rudeque proelium pugnatum fuisse Mosyr, in provincia Volinia. Aemulatione, odio, vel invidia moti, manus inter se conseruerunt adversis ex pagis oppidani omnes, numero octingenti, urbanisque rusticisque instructi armis, duas per horas certamen produxerunt. Quod tandem fessi cum dereliquerent mortuos viderunt quadraginta, viderunt centum et viginti satis atroci vulnere confosso fundere sanguinem. Causam pugnae iugerum unum fuisse arbitrantur, quod lite contestata suis potius finibus ad invicem illi clamabant addictum.

Iamvero cives subditosque suos linquit Nicolaus, Russorum Caesar, ut amica Galliae litora invisat, navemque concendit *Polarem Stellam*, omnibus instructam commodis vitae, rus-
sico imperiali decore insignem. Eam fabrefieri iussit quondam Alexander III, eam puer ipse Nicolaus iam concendit saepe, eam vidit his diebus Dunquerca urbs suum in portum appelle. Chalibe nitent arbores, exque navi emi-
nent satis ferrea culmina duo ad ducendum in aerem fumum, ignito ex ventre manantem. Tria sunt in ipsa Caesari cubicula, tria imperiali matri, tria uxori. tria sunt heredi pariter pa-

rata, decubitorium, parva aula, balneum. Triclinium profecto non deest, sed commune habetur, et bibliotheca et aula ampla musices sacra notis: omnia denique suppellectilia exornant ditissima. Sacellum medium est orbiculare, permultis sacris decorum tabulis; nautae trecenti navi inserviunt, praefectique eos viginti regunt. Quem si regalem peragrandi ritum et mihi quoque misero viatori darent, non mea amplius haec narrarem, tristia faustaque per orbem itinera.

VIATOR

VARIA

Acrior grandinis,
nimborumque profligator.

Chymicus quidam ex Winterthur novum edit, in ephemeride, cui titulus *Neuen Winterchuren Tageblatt* inventum, quo grandiniferae nubes dissipentur. Operis hoc est caput et summa. Aërostata conficiuntur, in quibus sit locus, et quasi scrinium tonanti compositioni cuidam arcanae. Facile est noscere quanta ex altitudine procellosa nubes terris incumbat, idemque facile quot metra aërostatum singulis momentis ascendat. Tunc horologium quoddam additur aërostato, in quo, certum assignatumque momentum ubi advenerit, ex horologio provocata favilla compositum tonans incenditur. Tali conflagrationi fragor est maximus, multoque potentiae pluribus igniballistis, seu tormentis grandinifugis. Hinc habentur pleraque utilia prae stationibus, queis nunc utimur; nam aërostata quocumque opus sit deferrentur parvis negotio et labore, impedimento exiguo; nihil discriminis erit in illum, qui contonationem provocabit; nubem abeuntem facile persequentur quot ad exterminium et dissipationem eius contendunt; ad libitum potentia fragoris augebitur; propior nubi, immo excitus in ipsa nube fragor sexcenties praestabit excitatis in terra tonitribus. Omnia haec tanti sunt, ut in ea incumbant homines eruditi, et si expectationem experienta firmaverint, mox in usu esse incipient, quae sapientia felici intuitu prosnexit.

Primus mutos eloquium docens.

Saepe miratus sum — non enim rei causam perspicere potui — eximios fuisse viros, qui adinventionibus clarissimis cum floruisserent, easque factis librisque tradidissent, nescio qua de causa apud posteros delituerunt; posteros vero fuisse qui adinventiones illas in medium quasi quaedam sua retulerint, aeternamque nomini suo gloriam compararint. Itaque dum hi per omnium ora feruntur ac celebrantur, illi sua fama exuti in sepulcris dormiunt et ignorantur. Cuius quidem rei sexcenta possum exempla congerere; quis enim ignorat Pithagoram primum astronomicam de planetis circa solem obeuntibus, deinde Cardinalem Cusanum, cuius in Basilica S. Petri in Vinculis Romae existant monumentum et cineres, denique Copernicum tradidisse, Galileum quae olim ipsi ediderant resumpsisse et amplificasse? Quis ignorat Pamphilum Castaldi primum de libro mobilibus characteribus moliendo et scribendo, Cicerone notionem suppeditante, tentamen exeruisse? Neque tamen huic, sed sequenti Guttembergio adinventionis gloria cessit. Quid de Rogerio Bacone minorita afferre non possum? Et nostris diebus magna circa mutos eloqui compotes factos laus data est viro sancto et egregio, quam sibi fortius et melius Petrus Pontius Monachus ex Ordine Benedictino vindicat. Referam ex Vallesio integrum locum, in libro, quem tribus abhinc circiter saeculis de *Philosophia Sacra* edidit. cap. III. « Posse

« omnino fieri (ut surdo-muti loquantur) aperte
« indicavit Petrus Pontius monachus S. Bene-
« dicti, qui (res mirabilis!) natos surdos do-
« cebat loqui non alia arte quam docens pri-
« mum scribere res ipsas digito indicando, quae
« characteribus illis significarentur, deinde ad
« motus linguae, qui characteribus responde-
« rent, provocando. Itaque ut audientibus a
« loquela, ita auribus captis rectius incipitur
« a scriptura ». Quid clarius? Benedictino Or-
dini sit ergo ex hinc debita laus.

Locality

Damnatum vivum

Praeteritis diebus personati ad theatrum Italicae cuiusdam urbis homines conveniebant, ut ludis, choreisque indulgerent. Blasius quidam, Baccho, ultra quam par sit, addictus atque devotus, adfuit; ibi enim insuper venalia, tamquam ad iudicium, vina prostabant. Amicus, qui noverrat hominem, descripta sociis suis Blasii persona, fit ad aures Blasii susurrans: — Ursi pellem induere debebas! — Ursus enim apud Italos ebriosus proverbio fertur; et qui in ebrietatem incurrat amplecti ursum dicitur. Post amicum veniunt ceteri, singuli idem auribus Blasii admurmurantes; compositum quippe inter eos hoc erat, ut excandesceret. Et excanduit: — Heus! vos — inquit — ab uxore mea indicium tulistis; sed ego domum rediens male mulcabo fuste dicacem. — Tum unus: — Mulca scyphos, qui de te dixerunt. — Si res ita — prosequutus est Blasius — o mali scyphi, ego siccabo vos usque ad extremum, ut moriamini exsangues. Et strenue in opus incubuit.

58 *Vimne iunctio parit?*

Caupo, cuius taberna coram palatium est, pictum cui stemma impendet foribus, in quo legitur: *L'union fait la force*, clientem rogat suum, ut illa hebraica (ita credebat) explicet verba centies frustra tentata. Ubi bonus fecit cliens, caupo excanduit, et: — Bardus homo, iudicio meo, dominus huius palatii est, aut solemnis mendax. Experienti crede: quo magis unio aquam vino, hoc semper debilius efficitur. Praedica nunc bardis: *L'union fait la force!* Ego non credam.

P. d. V.

LIBRI RECENS DONO ACCEPTI

GUSTAVO UZIELLI. L'Orazione della misura di Cristo. — Florentiae edid. officina Galileiana. 1901.

Bollettino Librario Trimestrale della Libreria Salesiana Editrice S. Giovanni Evangelista. — Aug. Tanx. ap. L. n. I.

XV Kal. Sept. MDCCCCI, die sacro ob memoria loachimi Patris, Leoni XIII P. M. Sedales Alfonsiani. — B. —

Sodales Alfonсианi. — Romae, typis Vaticanis.
ORAZIO MARUCCHI, **Di un antico battistero**
recentemente scoperto nel Cimitero Aposto-
lico di Priscilla e della sua importanza sto-
rica. Studio relativo ad una insigne memoria
dell'Apostolo S. Pietro in Roma, con lettera
di Mons. L. Duchesne all'Autore. — Romae,
ex off. *Pacis* Philippi Cuggiani 1901.

**De Sacra B. M. Virginis Imagine quae
sub titulo "Civitatis," in Mamurrae oppido
magna religione colitur carmen historicum
a CARMELO PEZZULLO editum. — Aversae ex
off. Francisci Fabozzi, 1901.**

PIETRO RASI, **Di un pentametro controverso nella "Regina Elegiarum", — Messanae, ex off. della Rivista di Storia antica**, 1901.

Dott. LUIGI MANNUCCI, **Noterelle filologiche** (Tucidide, Lib. III, cap. 82, § 4. — Terentiana Quaestiuncula. — De illo Horatiano «*Stans pede in uno*»). — Emporii, edid. E. Traversari. 1901.

* FIDES *

(Italice Violino)

quod musicum organum

S T R A D I V A R I U S

CREMONENSIMUM ARTIFEX CELEBERRIMUS

CONFECIT

Romae veneunt.

Negotium agitur apud Commentarii *VOX URBIS* administratorem, ROMAE, via Alessandrina, 87.

**DUBIA ET RESPONSA SUPER EXTENSIONE
IUBILAEI ANNI MCM** ad universam Ecclesiam proposita in commodum confessariorum a THOMA ARIZZOLI Missionario Apostolico Imperiali, Sacrae Poenitentiariae officiali.

Dubia huiusmodi explicant facultates quas Summus Pontifex concedit in ordine ad Iubilaeum exercendas et complectuntur praecipuos casus qui in Iubilaeo proponuntur. Responsa sacrae Poenitentiariae, *etiam recens data, quae opus fuit memorare*, memorantur. Accedunt Constitutio pontifica super extensione Iubilaei et, maxima ex parte, *Monita ex Constitutionibus Benedicti XIV de usu facultatum confessariorum tributarum* excerpta.

Opuseulum venit lib. 0.50 apud comm. *Vox Urbis* administratorem, Romae, via Alessandrina, 87.

Nuperrime prodiit

LOLLIUS, sive de provecta latinitate, PETRI ANGELINI liber, constans paginis CIX, excerptus ex Commentario ***Vox Urbis.*** - Venit lib. 1.50, apud eiusdem Commentarii administratorem, Romae, via Alessandrina, 87.

Ciapponi Franciscus et Soc.

OFFICINA
ANAGLYPTIS, GEMMIS CONCHISQUE CAELANDIS
PRAESERTIM IN REDDENDIS FIGURIS
PHOTOGRAPHICE EXPRESSIS

TEMPERANTIA IN PRETIO — DILIGENTIA IN OPERE

ROMAE — VIA SISTINA, 129 — ROMAE

IIBER (vulgo "ALBUM") praecipua Urbis referens, pulchritudine insignis atque, commentarii *Vox Urbis* moderatore iubente, expresse conflatus, apud eumdem commentarii administratorem, ROMAE, VIA ALESSANDRINA, 87, ven. lib. 1.50.

FIGURAE URBIS ROMAE

ARTE PHOTOGRAPHICA EXPRESSAE
COLLECTIONES VARIAE ET NUMERO ET PRETIO
Veneunt apud comm. VOX URBIS Administratorem.

URBIS E IANICULO MONTE PROSPECTUS

(m. 1.10 × 0.24)

qui sociis commentarii *VOX URBIS* dono datur,
venit singillatim L. 2.50

apud comm. VOX URBIS Administratorem.

SI QUIS PLURA REQUISIVERIT HUIUS PROSPECTUS EXEMPLARIA
EA MINORI ACCIPIET PRETIO.

LE LAUDI LATINE

IL CANTICO DEL SOLE

DI
S. FRANCESCO D'ASSISI

S. Maria degli Angeli, presso Assisi, tip. della Porziuncula, 1897

Hoc libello praeter venustam praefatiunculam a Paulo Sabatier, viro rei longe peritissimo, conscriptam, continentur laudes latinae cum interpretatione italica, *Canticum Solis*, necnon illa *Speculi perfectionis* capita, quae *Cantici* originem exponunt, aliaque permulta. Libellum, quem proxime alii subsequentur ad parvam *Bibliothecam Franciscanam* comparandam, Iulius Salvadori, litteris tradendis doctor egregius, maxima edidit cura. Romae apud commentarii *Vox Urbis* Administrationem venit L. 0.50, in pauperum levamen.